



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Epigramma 8. Zacharias infanti applaudit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](#)

Quale nefas ! vocis sator ergo silebit, ut infans  
 Pusio, tam festo Vox cui nata toro est ?  
 Tu pia Vox Verbi , sua reddere verba parenti  
 Durus an ergo neges ? nunc age ; tolle moras.  
 Quid motor ? abrumpis muro data vincla palato.  
 Emicat in faciles lubrica lingua sonos.  
 Iamque diserta ferit vocali plectra labello.  
 Vnde suauè canat, cœu lyra sancta, melos.  
 Sed quid opus iam voce ; stilo si dextera vocem  
 Exprimat ? apta loqui lingua fit ista manus.

*Epigramma 8.*

*Zacharias infanti applaudit.*

C Vi vix dum teneris vox palpitat vda labellis;  
 Quid pater infanti verba diserta facis ?  
 Sed primæua rudes sensu's nil præpedit ætas.  
 Occupat ætatem, mens cui cana, puer :  
 Qui vel adhuc clausus maternâ gestiit aluo,  
 Natus an is patro nesciet ore frui ?  
 Ergo loqui tenero, pater, ô ! ne parce puello :  
 Corde latent aures, (a) queis tua vota canes.  
 (a) Geminas quasi aures natura cordi adfixit.

*Epigramma 9.*

*Ioannes ubi nascitur, applaudit Patri  
 Zachariæ iam loquenti.*

E Vge puer, seris tandem Vox publica votis,  
 Præcine venturo candida signa Deo.  
 Interea risu puer incipe nosse parentem :  
 Sit satis hoc puero ; Vox tibi risus erit.  
 Sed miscere rudi mauis cata verba labello,  
 Vix octaua breui cui reddit orbe dies.  
 Tum tibi iure neges, quæ reddis verba parenti ?  
 Si tacet os ; oculis parvule discé loqui.

*Epigramma*